

Secunda sententia docet parvulos cum solo peccato originali inortuos, quamdam habituros esse beatitudinem naturalem, in naturali Dei cognitione et amore fundatam, atque post diem iudicii in quodam paradiso terrestri vitam perpetuo beatam acturos, plenos sapientia et virtutibus, sua sorte optime contentos, Deum toto corde diligentes et laudantes, Angelorum denique consortio et revelationibus sæpe fruente. Ita *Catharinus*, dominicanus, qui concilio Tridentino adfuit; *Albertus Pighius*, et postea cardin. *Sfondrate*, in libro cui titulus: *Nodus Prædestinationis dissolutus*, anno 1696 Romæ typis mandato, quem *Bossuet*, cum quatuor aliis episcopis, Innocentio XII denuntiavit per longam et communem epistolam inter sua opera exstantem.

Hæc sententia procul rejicienda est; 1<sup>o</sup> enim natura sumus filii iræ, filii diaboli, immundi, peccatores, ut ex Scriptura et SS. Patribus constat: at repugnat filios iræ, filios diaboli, immundos et peccatores beatitudinis naturalis in quodam paradiso terrestri, perpetuo fruituros esse. 2<sup>o</sup> *S. Aug.*, de Anima et hujus Origine, l. 1, cap. 9, n. 11, sic ait: « Non baptizatis parvulis nemo promittat » inter damnationem regnumque celorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum; » hoc enim et hæresis Pelagiana promisit. » 3<sup>o</sup> Concilium Florentinum supra relatam dicit animas eorum qui in solo originali peccato decedunt, pœnis disparibus esse puniendas: animæ autem quæ beatitudine naturali gaudent, vero sensu non punirentur: ergo. Unde *Bellarminus*, de Amissione Gratiae, l. 6, cap. 2, n. 1: « Fide catholica » tenendum est parvulos sine Baptismo decedentes, ab » solute esse damnatos, et non sola cœlesti, sed etiam » naturali beatitudine perpetuo carituros. » Idem habet *Bossuet*, *Défense de la Tradition*, l. 5, c. 2, et in Epistola ad Innocentium XII.

Quia tamen Ecclesia opinionem *Catharini* et cardinalis *Sfondrate* nunquam expresso iudicio profligavit, stricte dici non potest ejus defensores esse hæreticos.

Tertia sententia eorum est qui tenent parvulos sine

Baptismate morientes, nulla quidem fruituros beatitudine naturali, sed de illius amissione nullum percepturos dolorem neque internum, neque externum. Sic *S. Th.*, quæst. 5, de Malo, art. 1, 2 et 3, et in 2 sentent., dist. 33, atque, post ipsum, multi scholastici.

Quarta sententia tenet infantes sine Baptismo decedentes, pœna sensus non esse plectendos, sed perpetuam habituros tristitiam de amissione beatitudinis ad quam in origine erant destinati. Sic *Bellarminus*, in libro citato, cap. 6 et 7: plurimis nititur testimoniis *S. Aug.* et *S. Gregorii*, atque sic ratiocinatur: In die iudicii infantes peccato originali maculati, multos sui generis, et fortasse parentes ac fratres aspicient in cœlum cum ingenti gloria ascendere, se vero perpetuam ab eorum glorioso consortio, cui erant destinati, exclusionem passuros: at impossibile videtur eos aliquem non percepturos dolorem de tali exclusionem, nisi dicatur illos ad naturam rerum sentientium reducendos esse; quod certe admitti non potest: ergo.

Posterior hæc sententia communius tenetur et probabilior videtur: in ea facile explicantur decretum concilii Florentini et pleraque sanctorum Patrum testimonia, damnandos atque puniendos esse istiusmodi infantes pronuntiantia.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

Peccatum mortale illud dicitur quod gratiam sanctificantem destruendo, mortem animæ affert, et pœna æterna hominem reddit dignum. Per peccatum autem veniale illud intelligitur quod gratiam sanctificantem non destruit, sed tantum ejus operationem minuit et ad peccatum mortale disponit.

Quæritur in hoc capite 1<sup>o</sup> an peccatum mortale et peccatum veniale essentialiter differant; 2<sup>o</sup> quibus signis unum

ab altero secerni possit; 3<sup>o</sup> an et quomodo peccatum ex genere suo mortale fieri possit veniale, et veniale mortale; 4<sup>o</sup> quinam sint effectus peccati mortalis, et 5<sup>o</sup> quinam effectus peccati venialis.

### ARTICULUS PRIMUS.

AN PECCATUM MORTALE ET PECCATUM VENIALE ESSENTIALITER DIFFERANT.

A nemine negatur dari peccata ex natura sua mortalia: verum *Wiclefus*, *Lutherus*, *Melanchthon* et *Calvinus* docuerunt omnia peccata ex natura sua esse mortalia atque damnationem mereri, sed misericordia Dei non imputari prædestinatis, sicque, licet gravissima, fieri venialia, dum levissima in reprobis manent mortalia. Eundem errorem docuit *Baius*.

#### PROPOSITIO.

*Dantur peccata ex natura sua venialia.*

*Prob.* Scriptura sacra, conciliis, auctoritate summorum Pontificum, SS. Patribus et ratione.

1<sup>o</sup> *Scriptura sacra.* In pluribus enim Scripturæ sacræ locis, v. g., Matth. xxiii, 25; Luc. vi, 41; I Cor. iii, 12, quædam peccata comparantur rebus levissimis, nempe culici, festucæ, feno, stipulæ, dum alia rebus gravissimis comparantur: at talis comparatio falsa esset, si omnia peccata ex natura sua forent mortalia; quod enim mortem animæ infert, valde improprie minutum dici posset.

*Epist. B. Jacob.* iii, 2, legitur: *In multis offendimus omnes*; I Joan. i, 8: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*; Prov. xxiv, 16: *Septies enim cadet justus, et resurget.* Hos quippe textus, præsertim duos priores, communissime intelligunt Scripturæ interpretes de minimis et quotidianis peccatis, ac proinde de venialibus. Ergo 1<sup>o</sup>.

2<sup>o</sup> *Conciliis.* Concilium Milevitanum cui *S. Aug.* adfuit, can. 7, definit sanctos recte dicere: *Dimitte nobis debita*

*nostra*, quia sanctus et justus erat Apostolus Jacobus cum dicebat: *In multis offendimus omnes.* Concilium Trid. in pluribus locis, v. g., sess. 6, cap. 11, et can. 23, sess. 14, cap. 5, supponit existere peccata ex natura sua venialia. Ergo 2<sup>o</sup>.

3<sup>o</sup> *Auctoritate summorum Pontificum*, nempe *S. Pii V* et *Gregorii XIII*, qui sequentem *Baii* propositionem, n. 25, damnaverunt: « Nullum est peccatum natura sua veniale, » sed omne peccatum meretur pœnam æternam. »

4<sup>o</sup> *Ex SS. Patribus*, qui clarissime peccata venialia agnoscunt, v. g., *S. Aug.* de Perfectione justitiæ hominis, cap. 9, n. 20: « Ingressi autem sine macula non absurde » etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad » ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens » criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia » non negligens mundare eleemosynis. »

5<sup>o</sup> *Ratione.* Inter amicos enim non omnes offensæ amicitiam ex natura sua dissolvunt; aliæ quippe sunt graves, et aliæ leves: ergo similiter inter Deum et hominem justum. Ergo 5<sup>o</sup>, etc. Aliunde, etc. Ergo.

*Dices* 1<sup>o</sup>: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, id est nullus, Matth. v, 19. Ergo.

*R. Neg. cons.* Nam 1<sup>o</sup> per minima mandata, non intelligenda sunt ea quæ minima sunt in se, sed in sensu Pharisæorum; 2<sup>o</sup> non dicitur tantum *qui solverit unum*, etc., sed *et docuerit sic homines*: porro sic docere parvi pendenda esse minima mandata, grave est peccatum. Ergo.

*Dices* 2<sup>o</sup>: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium*, Apoc. xxi, 27: ergo peccata etiam minima a regno cœlorum excludunt.

*R. Nego consequ.* Dicitur quidem, in textu objecto, neminem cum hujusmodi peccato cœlo ingressurum esse: inde legitime concluditur peccatis venialibus inquinatos, priusquam cœlum ingrediantur, purgandos esse, ut docet Ecclesia catholica, non vero a regno cœlorum excludendos. Ergo.

*Dices* 3<sup>o</sup>: *Peccatum veniale infinitam offendit majesta-*

tem, sicut peccatum mortale : ergo similiter ex se infinitam meretur penam.

*R. Dist. ant.* Infinitam offendit majestatem, sed non eodem modo, *conc.*; eodem modo, *nego ant.* Per peccatum enim mortale homo finem suum ultimum in creatura ponit, id est Deum contemnit, ei graviter præcipienti obedire recusando et creaturam ei anteponendo; venialiter autem peccando, finem non invertit, sed tantum circa media ad finem perveniendi errat et delinquit. Ergo.

Unde differentia peccati venialis a peccato mortali non repetenda est 1° ex parte solius subjecti, ut somniarunt hæretici, dicentes leviora peccata in reprobandis esse mortalia, et maxima in prædestinatis esse venialia; 2° non ex parte voluntatis divinæ, unum peccatum ad pœnam mortis pro nutu imputantis, et aliud non ita; 3° non ex eo quod unum sit contra præceptum et aliud contra consilium, siquidem actus contra consilium nullatenus est peccatum; 4° non ex eo quod mortale sit contra legem, et veniale præter legem; quodlibet enim peccatum est transgressio legis sive in re magna, sive in re parva.

In hoc ergo sita est differentia prædicta, videlicet, quod mortaliter peccans Deum pro creatura deserat, et venialiter peccans ad Deum nihilominus sincere tendat, sed non omnibus mediis requisitis. Sic *S. Th.* 1 2, q. 72. art. 5, et post ipsum communiter scholastici.

## ARTICULUS SECUNDUS.

QUIBUS SIGNIS PECCATUM MORTALE A PECCATO VENIALI  
SECERNI POSSIT.

Quamvis peccatum mortale immensa distantia a veniali differat, valde tamen sæpe difficile est unum ab altero discernere. « Quis iste sit modus, et quæ sint ipsa peccata » quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut » tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum deficiam, » inquit *S. Aug.*, de Civitate Dei, l. 21, cap. 27, n. 5; et in *Enrichir.* de Fide, cap. 78, ait : « Quæ sint

» autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino vno pensanda sunt iudicio. »

Quædam tamen a theologis assignari solent regulæ quibus mortalia a venialibus discernuntur peccata, nimirum :

Toties peccatum est mortale, quoties ex Scriptura sacra, ex Ecclesiæ vel summorum Pontificum decretis, ex communi doctorum consensu vel ex ratione gravem iudicatur habere deformitatem.

1° *Ex Scriptura sacra*, videlicet si peccatum dicatur execrandum, abominabile, Deo odibile, morte dignum, a regno cælorum excludere, etc.; hæ enim aliæque similes expressiones valde gravem significant deformitatem, ac proinde mortalem. Sic B. Paulus, Gal. v, 19, de operibus carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impulcitia, luxuria, ait : *Prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

2° *Ex decretis Ecclesiæ vel summorum Pontificum*, si nempe peccatum declaretur mortale, aut gravibus afficiatur pœnis : talia sunt simonia, confidentia, confessionis annualis aut communionis paschalis omissio, etc.

3° *Ex communi doctorum consensu*, a quo recedere temerarium esset; unde minister ad id specialiter consecratus, sacramentum in statu peccati mortalis administrans aut conficiens, mortaliter peccare iudicatur : sic et qui, absque causa sufficiente, omittit auditionem missæ in die dominica, jejunium, abstinentiam, horæ canonicæ recitationem, etc.

4° *Ex ratione*, si nempe ratio gravem ostendat deformitatem in aliqua actione, sive contra Deum, ut in peccatis fidei, spei, charitati aut religioni oppositis; sive contra proximum, ut in furto, in detractione, in contumelia, in læsione corporis, etc.; sive contra seipsum, ut in actibus luxuriæ, intemperantiæ, gulæ, etc.

*Notandum* 1° quartam regulam a tertia parum recedere : ratio quippe *individualis* sibi relicta, raro discernere potest, absque errandi periculo, peccatum mortale a peccato veniali, saltem quoad principium generale; in quibusdam tamen discrimen illud per lumen menti impressum

et dictamen conscientiae attingere posse non diffitemur.

*Notandum* 2° non prima fronte iudicandum esse peccatum aliquod esse mortale aut veniale, sed caute examinandos casus difficiles, antequam pronuntietur: quia saepe difficile est invenire et periculosum definire quae sint peccata venialia et quae mortalia, ut sapienter notat *S. Aug.* supra citatus, addens: « Ergo certe, usque ad hoc tempus, » ad eorum indagine[m] pervenire non potui, et fortassis » propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. »

Ad Scripturam sacram et traditionem maxime attendendum est: nam, ut ait *S. Aug.* in *Enchir.*, cap. 79, « sunt quaedam quae levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur graviora. Quis enim dicentem » fratri suo, *fatue*, reum gehennae putaret, nisi Veritas diceret? »

### ARTICULUS TERTIUS.

AN ET QUOMODO PECCATUM EX GENERE SUO MORTALE  
FIERI POSSIT VENIALE, ET VENIALE MORTALE.

Illud peccatum dicitur ex genere suo mortale, quod in sua specie sistendo et absque nova malitia, est mortale, v. g., furtum, quod, licet ratione levitatis materiae veniale fieri possit, tamen sine accessione novae malitiae mortale esse potest: peccatum cuius objectum semper est grave, ut haeresis, perjurium, homicidium, etc., dicitur ex toto genere suo mortale. Peccatum vero ex genere suo veniale, illud est quod, sine additione novae malitiae, nunquam est mortale, v. g., verbum otiosum, mendacium jocosum, vana curiositas, superfluitas in risu, in laetitia, in tristitia, etc.

*His positis, sequentes statuendae sunt regulae:*

I°. Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale defectu advertentiae; actus enim non potest esse humanus et imputabilis, nisi fiat cum advertentia intellectus: si transgressio legis, in materia gravi, ex plena fiat advertentia, totaliter imputatur et peccatum est mortale; si

vero ex semiplena advertentia fiat, actus dicitur imperfectus et peccatum est duntaxat veniale: tales sunt actus qui fiunt a semidormientibus, a semiebriis, ab infantibus plenum rationis usum nondum habentibus.

Non necesse est autem ut advertentia sit explicita; saepe sufficit implicita vel etiam inadvertentia vincibilis, ut patet ex dictis in *Tractatu de Actibus humanis*, ubi de voluntario indirecto.

II°. Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale per accidens defectu consensus, si nempe consensus fuerit tantum semiplenus; cum enim sola voluntas sit peccati sedes, « usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut » nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, » inquit *S. Aug.*, de *Vera Relig.*, cap. 14; ubi consensus est tantum semiplenus, peccatum, licet in materia gravi et cum perfecta advertentia, est solummodo veniale.

Signa imperfecti consensus sunt: 1° conscientia timorata a peccato mortali abhorrens, vel animus firmus mortaliter non peccandi, cum dubitatione de consensu; qui enim talem animum vel conscientiam habet, et dubitat an consenserit, prudenter judicare potest se perfecte non consensisse, alioquin memoriam sui consensus haberet, quia voluntas non ita facile mutatur, et ex communiter contingentibus iudicandum est: unde, e contra, qui consuetudinem habet tale committendi peccatum mortale, et dubitat an consenserit, praesumere debet se plenum dedisse consensum; 2° facilitas rem externam faciendi, a qua tamen, non pudore aut timore humano, vel alia simili ratione, sed propter metum iudiciorum Dei abstinet: incredibile est quippe aliquem, in tali circumstantia, ab actione cui plene consensisset, abstinuisse.

III°. Peccatum ex genere suo mortale, fieri potest veniale per accidens, defectu materiae, ubi videlicet objectum peccati levitatem materiae patitur, v. g., in furto, in detractone, in contumelia.

Actus vero ex genere suo venialis, vel indifferens, peccatum mortale fieri potest, 1° ex errore conscientiae, si nimirum agens putat se mortaliter peccare; 2° ex malo

affectedu, si quis videlicet rem venialiter malam aut indifferentem perficiens, paratus sit eam facere, etiamsi mortaliter mala esset; 3<sup>o</sup> si finem mortaliter malum sibi proponat, v. g., si officiose, ad seducendam puellam, mentiatur; 4<sup>o</sup> si grave damnum temporale aut spirituale, quod prævídít aut prævídere potuit et debuit, proximo inferat, v. g., si instrumentum parvi pretii auferendo vel destruendo, in causa sit cur artifex opus notabile perficere nequeat, aut blasphemias evomat; 5<sup>o</sup> si ipse rem venialiter malam agens, grave incurrat periculum mortaliter peccandi, puta, si ex aspectu mulieris, vel ex colloquio familiari cum illa, inducendus sit in turpia, quia ut ait Scriptura, Eccli. III, 27, *qui amat periculum, in illo peribit*; 6<sup>o</sup> si præceptum in materia levi vel etiam si consilium Evangelicum formaliter contemnat, quia hujusmodi contemptus in ipsum legislatorem, ac proinde in Deum, a quo omnis potestas ordinata est, redundat et graviter ipsi injuriosus est. Item contemptus consilii Evangelici tanquam vani aut inutilis Christum graviter inhonorat. Ergo. *Sic communissime theologi.*

Diximus *si formaliter contemnat*, id est, cum advertentia et ex directa intentione, per oppositionem ad contemptum materiale qui in omni peccato gravi reperitur, ut ascetici magistri et concionatores sacri affirmare solent.

*Quæritur* an plura venialia peccata unum mortale facere possint.

*R. 1<sup>o</sup>.* Peccata venialia ut venialia coadunata mortale efficere non possunt; cum enim, ex dictis, peccatum mortale et peccatum veniale essentialiter inter se differant, venialia quantumvis multiplicata, nunquam unum mortale efficient, v. g., mille mendacia pure jocosa vel officiosa, mille sunt peccata venialia, et unum mortale non efficiunt. *Est sententia communissima.*

Sapienter tamen plurimi observant eum qui omnia venialia occurrentia committere paratus esset, solaque mortalia vitare sibi proponeret, etiam absque formali contemptu, mortaliter peccare, quia talis animi dispositio manifestum involvit mortaliter peccandi periculum.

*R. 2<sup>o</sup>.* Si materiæ vel effectus peccatorum venialium in unum coalescere possint, ita ut fiat objectum grave relative ad idem præceptum, peccatum fit mortale, non multiplicatione actuum venialium, sed quia ultimus actus grave habet objectum: v. g., qui eadem die dominica pluries per quadrantem absque causa sufficienti laborat, singulis vicibus venialiter peccat; sed ultima vice, si tempus notabile ad constituendum peccatum mortale sufficiens compleat, mortaliter peccat: contra vero, qui singulis diebus dominicis per breve tempus laborat, vel singulis diebus Quadragesimæ aliquid modicum ante refectionem sumit, venialiter tantum peccat, quia materiæ hujusmodi transgressionum in unum objectum contra eandem obligationem non coalescunt. Item qui res parvi momenti apud diversas personas furatur, venialiter tantum peccat; si apud eandem personam, mortaliter peccabit, ubi, cum debita advertentia et sufficienti unione, materiam gravem complebit, quia tunc grave efficiunt objectum eidem obligationi adversum.

#### ARTICULUS QUARTUS.

##### DE EFFECTIBUS PECCATI MORTALIS.

Quatuor communiter assignantur effectus peccati, nempe macula in anima, offensio Dei, reatus pœnæ et ipsa pœna, de quibus in tribus dicemus paragraphis.

##### § I.— De macula peccati in anima.

Peccatum considerari potest ut actuale et ut habituale: ut actuale, est ipsamet transgressio legis, seu actus transgrediendi legem; ut vero habituale, est id quo homo, qui legem transgressus est, constituitur peccator et remanet Deo odiosus. Id autem vocatur macula peccati in anima existens.

##### PROPOSITIO.

*Ex peccato mortali sequitur macula in anima existens donec per gratiam diluatur.*

*Prob.* In multis Scripturæ locis peccata exhibentur ut

sordes, maculæ, inquinamenta, et peccatores ut maculati, sordidi, inquinati, immundi; qui vero justificati sunt, dicuntur a peccato abluti, mundati, purgati, sine macula, v. g., Josue, xxii, 17: *An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?* Jerem. ii, 22: *Si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Ezech. xxxvi, 25: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* II Cor. vii, 1: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* I Joan. i, 7: *Et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato, etc.*

Unde Patres concilii Trid., sess. 5, aiunt, can. 2, hominem fieri *inquinatum per inobedientiæ peccatum*; can. 4, parvulos baptizari, *ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt*; et can. 5, addunt baptizatos esse innocentes, immaculatos, puros et innoxios. Ergo.

De natura hujusmodi spiritualis maculæ subtilissime disserunt theologi, et in varias abeunt sententias, a quibus referendis, ut pote nullius utilitatis, abstinendum esse ducimus: scire sufficiat eam esse horrendam, animam coram Deo deformare, ejus aversionem, odium et vindictam excitare. « Le péché dans le cœur de l'homme, *inquit* » Bossuet, est une humeur pestilente qui le dévore, et une » tache infâme qui le défigure... A l'égard de Dieu, il fait » un cri terrible à ses oreilles toujours attentives, et il est » un spectacle d'horreur à ses yeux toujours ouverts. » (T. 12, p. 254 et 255.)

§ II. — De peccato quatenus est offensæ Dei, ubi de ejus infinitate.

Offensæ Dei est injusta supremæ dignitatis violatio, et petitur an talis offensæ habeat malitiam infinitam.

Dupliciter malitia peccati dici potest infinita, videlicet ratione sui et ratione objecti. Certum est eam esse infinitam ratione objecti, id est Dei, qui sub omni respectu est infinitus. Verum controvertitur inter theologos an malitia

peccati, in se sumpta, sit infinita. Multi affirmant, sequentibus præsertim innixi rationibus: 1<sup>o</sup> offensæ alicujus personæ est quædam illius depressio: gravitas autem hujus depressionis juxta dignitatem personæ crescit, ut evidens est: porro dignitas Dei est infinita: ergo. 2<sup>o</sup> Pœna proportionari debet culpæ: at pœna peccati est infinita ratione durationis: ergo culpa debet esse infinita. Ergo.

Alii vero multi negant, dicentes: 1<sup>o</sup> Illud non est simpliciter infinitum quo majus excogitari potest: atqui nunquam tanta est malitia peccati, ut major excogitari non possit, sicut amor Dei tantus esse non potest, ut major fieri nequeat: ergo. 2<sup>o</sup> Essentia malitiæ peccati consistit in oppositione ad bonum spirituale quod destruit: porro bonum spirituale, quatenus homini communicatur, non est infinitum, siquidem repugnat hominem valde finitum aliquid simpliciter infinitum in se possidere: ergo malitia peccati non nisi objective, seu ratione objecti offensi, infinita dici potest.

Longe probabilior nobis videtur hæc sententia: imo prior, si bene intelligatur, ad eam in ultima analysi reducitur.

Hinc 1<sup>o</sup> dantur peccata majora, et alia minora, licet objectum offensum semper idem sit et infinitæ dignitatis. Illorum inæqualitas desumitur 1<sup>o</sup> ex objectis; peccata enim in Deum, v. g., blasphemia, graviora sunt, cæteris paribus, quam peccata in homines, puta contumelia; 2<sup>o</sup> ex fine; quo enim pejor est finis quem agens sibi proponit, eo majus est peccatum; 3<sup>o</sup> ex circumstantiis, quæ peccatum augere vel minuere possunt, vel novam ei addere malitiam.

Hinc 2<sup>o</sup> omnia peccata non sunt inter se necessario connexa: multa namque inter se nullam habent affinitatem, ut furtum et fornicatio, homicidium et ebrietas; imo quædam sunt opposita et sese excludunt, v. g., avaritia et prodigalitas, gula et excessiva abstinentia, etc. Unde si B. Jacobus dixerit, ii, 10: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*, id eo sensu intelligendum est, quod homo per unum peccatum grave a Deo avertatur et æternam

damnationem incurrat, perinde ac si omnia legis præcepta violasset, licet eadem severitate puniri non debeat.

§ III. — De reatu pœnæ et ipsa pœna peccati.

Reatus pœnæ est obligatio subeundi pœnam proprio peccato debitam : est igitur quid medium inter peccatum et pœnam, habens pœnam pro termino et peccatum pro radice. Dicitur *proprio peccato debitam*, quia pœna ob alienum peccatum perpessa, reatum pœnæ non supponeret : sic Christus pœnam peccati sustulit et tamen reatum peccati non habuit.

Talem per peccatum contrahi pœnæ reatum negari non potest; sic enim ait Christus, Matth. v, 22 : *Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis*; idem in aliis locis Scripturæ dicitur aut supponitur, et concilium Trid. expresse *reatum pœnæ æternæ* nominat, sess. 6, can. 30.

Pœna autem est malum naturæ aut voluntati contrarium, eique illatum ut culpa puniatur.

1º Dicitur *malum*, respectu illius qui patitur; respectu vero illius qui punit, non est malum, sed bonum, cum sit actus justitiæ vindicativæ.

2º Dicitur *naturæ aut voluntati contrarium* : fieri potest ut malum sit contrarium naturæ et non voluntati, ut in jejuniis et macerationibus; et aliquando simul naturæ et voluntati, ut in pœnis quas inviti patimur.

3º Dicitur *illatum ut culpa puniatur*; non vero ob alium finem, quia tunc proprie non esset pœna.

Pœna autem peccati duplex est : una quæ solvitur in præsentem vitam, ut varia morborum genera, bella, etc., et alia post præsentem vitam solvenda in inferno vel in purgatorio.

De pœnis hujus vitæ hic nihil dicemus : certum est, ex multis Scripturæ locis, Deum frequenter in hac vita gravissime punire peccata, sed non semper nec æqualiter; de purgatorio ad calcem Tractatus de *Pœnitentia* breviter disseruimus. Agendum est igitur de sola pœna inferni, quæ est duplex, pœna damni et pœna sensus. Pœna damni est

privatio visionis Dei, et pœna sensus consistit in tormentis corpus et animam cruciantibus. Petitur 1º an infernus existat; 2º an homo cum uno peccato mortali decedens damnandus sit ad infernum; 3º an pœna inferni futura sit æterna; 4º an in inferno existat ignis materialis, et 5º ubi sit infernus. His quæsitis, per sequentes responsiones pro posse nostro breviter satisfaciemus.

1º De fide est existere infernum, seu locum tormentorium in quo puniuntur damnati : cum horrenda hæc veritas creditu sit difficilis, nulla clarius expressa fuit in Scriptura, v. g., Matth. xxii, 13 : *Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Ibid. xxv, 30 et 41; Luc. xvi, 22 et seq. Idem clarissime docet universalis traditio, ut omnibus apertum est. Ergo.

2º Pariter de fide est hominem cum unico peccato mortali decedentem, damnandum esse ad infernum; quicumque enim vel unico peccato mortali maculatur, vestem nuptialem non habet, simpliciter est peccator coram Deo : ergo ab illo reprobandus est, ac proinde in tenebras exteriores projiciendus, in ignem æternum mittendus.

3º De fide est pœnas damnatorum futuras esse æternas; apud Isai. enim, lxvi, 24, legitur : *Vermis eorum (qui prævaricati sunt) non morietur, et ignis eorum non extinguitur* : hæc eadem verba referuntur apud Marcum ix, 43.

Apud Matth. xxv, 46, hæc habentur : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Vita beata justorum nunquam desitura est : ergo nec supplicium damnatorum. Quod sic exprimit S. Aug., de Civitate Dei, l. 21, cap. 23 : « Par pari relata sunt; hinc supplicium » æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno » eodemque sensu, vita æterna sine fine erit, supplicium » æternum finem habebit, multum absurdum est. Unde, » quia vita æterna sanctorum sine fine erit, supplicium » quoque æternum quibus erit, finem procul dubio non » habebit. »

Ab aliis multis testimoniis Scripturæ sacræ et Patrum abstinemus; quia in admittendo hoc dogmate unanimis



semper fuit doctrina catholicorum contra Origenistas, qui in quinto et sexto sæculo contendebant pœnas dæmonum et damnatorum aliquando finem habituras esse.

Non negamus voces *in æternum* quandoque sumi in Scripturis pro longa duratione finem tamen habitura, ut in hoc textu Gen. XVII, 13: *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*; sed eorum sensus limitatus determinatur, vel ex contextu, vel ex aliis Scripturæ locis, vel ex nonnullis circumstantiis: v. g., ex variis Scripturæ textibus constabat, ut in Tractatu *de vera Religione* probavimus, novum fœdus legi per Moysen promulgatæ substituendum esse: Judæi ergo ignorare non poterant pactum circumcisionis in carne aliquando abrogandum fore. Contra vero, nihil ostendit voces *in æternum*, suppliciiis reprobatorum applicatas, longam tantum durationem significare: imo multa demonstrant eas perpetuitatem proprie dictam exprimere, v. g., hæc verba: *vermis eorum non morietur; ignis eorum non exstinguetur; fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*, Apoc. XIV, 11; felicitas beatorum cum pœnis damnatorum comparata, ut diximus; tandem constans et perpetua traditio. Ergo.

Objectiones ex justitia, bonitate et sapientia Dei petitas refellimus in *Philosophia morali*, agendo de legis naturalis sanctione.

4º Ignis quo reprobi torquentur in inferno est materialis, non vero tantum metaphoricus; simpliciter enim dicitur ignis pluribus in locis Scripturæ sacræ: Scriptura autem sensu obvio et naturali semper accipienda est, nisi aliquid secuturum sit absurdi, et sic ostendatur eam accipiendam esse sensu metaphorico. Porro non repugnat ignem inferni materialem esse; Deus enim animas a corpore separatas tam facile igni corporeo torquere potest, quam mediantibus proprii corporis partibus, sicut facit in præsentī vita: ergo. Unde *S. Aug.*, de Civitate Dei, l. 21, cap. 10, fuse ac clare ostendit spiritus incorporeos pœna corporalis ignis affligi posse, Deo sic volente; postea addit: « At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis » et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, et cruciabit

» corpora damnatorum, aut et hominum et dæmonum,  
 » solida hominum, aëria dæmonum; aut tantum hominum  
 » corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine  
 » corporibus, hærentes sumendo pœnam, non imper-  
 » tiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utris-  
 » que ignis erit, sicut Veritas dixit. »

Attamen propositio ista non est de fide catholica, quia expresse non fuit definita, sed communiter ut certissimum tenent catholici, contra *Calvinum* et incredulos nostros, ignem inferni esse corporeum, ejusdem substantiæ cum igne nostro, in nonnullis tamen accidentibus differentem, v. g., eo esse acriorem, interiora penetrantem et non consumentem, non lucentem sed obscurum, fomentis liquorum alteriusve materiæ non indigentem, sed in seipso subsistentem sicut globos ardentes in firmamento lucentes.

5º Communiter docetur infernum esse subterraneum, idque supponere videntur plurima Scripturæ sacræ verba, ipsaque vox *infernus*: sic eum fingeant ipsi poætæ ethnici, veteri et universali traditioni populorum in hoc conformes.

*Quæritur* 1º an reipsa sint vermes in inferno, juxta verba Isaiaë et *S. Marci* superius relata.

*R.* Affirmat *S. Basilius*, in Ps. xxxiii, dicens non solum vermes proprie dictos, sed et varios serpentes existuros esse in inferno, corpora damnatorum indesinenter ac inexplicabiliter corrodescentes, nec consumentes.

At *S. Th.*, Suppl. q. 98, art. 2, negat aliquod remansurum esse corpus animale, post diem judicii, « nisi » corpus hominis tantum, eo quod non habeat aliquem » ordinem ad incorruptionem, nec post illud tempus sit » futura generatio et corruptio. Unde vermis qui in damnatis ponitur non debet intelligi esse corporalis, sed » spiritualis, id est conscientiæ remorsus. » *Hæc sententia longe communior videtur.*

*Quæritur* 2º quid sentiendum sit de tenebris, fletu et stridore dentium.

*R.* 1º. Locus inferni erit tenebrosus, et tamen ex dispositione divina aliquid erit luminis ad videndum, sub



quadam umbrositate, ea quæ animam torquere possunt : « Et ad hoc satisfacit, inquit *S. Th.*, *ibid.*, art. 4, naturalis situs loci, quia in terræ medio, ubi infernus ponitur, non potest esse ignis, nisi fæculentus et turbidus, » et quasi fumosus. »

Eo sensu verificabuntur verba Scripturæ : *Mittite eum in tenebras exteriores* ; Matth. xxii, 13. *Missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Apoc. xx, 9 et 10.

R. 2°. In fletu naturali duo inveniuntur, nempe lacrymarum resolutio et quædam capitis ac oculorum turbatio : in inferno non erit lacrymarum resolutio, quia corpora nulli tunc obnoxia erunt alterationi : igitur sub hoc respectu fletus non erit corporalis. Verum quoad capitis oculorumque commotionem et turbationem, fletus erit corporalis, post carnis resurrectionem ; corpora enim damnatorum ab exteriori et interiori valde affligentur, et nihil obstat quominus fletu continuo, ululatu et dentium stridore dolores suos acerbissimos exprimant, et ita sese invicem horrende excrucient : verba igitur Christi, *ibi erit fletus et stridor dentium*, sensu naturali accipienda sunt.

Quæritur 3° an pœna damnatorum futura sit æqualis in omnibus.

R. Duplex erit pœna damnatorum, ut jam notavimus, pœna damni et pœna sensus : utraque erit inæqualis et uniuscujusque peccatis proportionata. 1° Pœna damni ; sicut enim visio beatifica innumeros habet gradus respectu sanctorum, ita et privatio illius visionis respectu damnatorum : quo majora erunt alicujus peccata, eo major erit indignatio Dei eum a conspectu suo projicientis, eoque major sic in æternum projecti afflictio. 2° Pœna sensus erit pariter inæqualis, juxta hæc verba Apoc. xviii, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* ; et juxta hæc alia pluries repetita, Matth. xvi, 27 ; Rom. ii, 6 : *Reddet unicuique secundum opera ejus.*

Imo diversa infligentur pœnarum genera pro diversitate et numero peccatorum : id expresse docet *S. Th.*, Suppl. q. 98, art. 1. Et forte idem ignis, tanquam justitiæ Dei instrumentum, habebit virtutem varios varie cruciandi, v. g., excitandi sitim in ebriosis, famem in gulosis, agitationem in pigris, alios calore, alios frigore torquendi, vel a vehementissimo calore ad vehementissimum frigus, sine ullo refrigerio, pertransire faciendi, adeo « ut sicut omnis » creatura erit beatis materia gaudii, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum illud » Sap. v, 22 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* » *S. Th.*

*S. Chrysost.* et communiter doctores tenent pœnam damni incomparabiliter majorem futuram esse pro damnatis, quam pœnam sensus, licet hæc posterior futura sit acerbissima, horrenda et omni conceptu superior, quia majori et altiori opponitur bono.

## ARTICULUS QUINTUS.

### DE EFFECTIBUS PECCATI VENIALIS.

1° Peccatum veniale quamdam producere videtur maculam in anima : nam 1° textus Scripturæ superius allati ad probandam maculæ peccati mortalis existentiam, sunt generales et de omni peccato intelligi debent ; 2° qui peccati venialis remissionem obtinuerunt, dicuntur mundati, puri, immaculati, etc. Ergo.

2° Peccatum veniale suum etiam habet reatum pœnæ, id est, quicumque peccatum veniale admisit, pœnam ei proportionatam subire debet, in hac vita vel in futura, nisi veniam a misericordia Dei obtineat.

3° Hæc pœna per se non est æterna ; cum enim peccatum veniale a Deo non separet, pœna pro eo debita temporalis esse debet, ut Ecclesia semper docuit, quamvis ignoremus ejus naturam et durationem, et modum quo peccatum istud in altera vita remittitur.

Diximus pœnam peccato veniali debitam per se non fore æternam, ut abstraheremus a sententia multorum theolo-

gorum qui arbitrantur eam in reprobis nunquam esse desituram; quia reprobi ob peccata mortalia quibus detinentur, cujuscumque veniæ sunt incapaces, etiam pro culpis levioribus a se admissis.

4<sup>o</sup> Peccata venialia sæpe repetita disponunt hominem ad mortaliter peccandum, ut constat 1<sup>o</sup> ex Scriptura sacra dicente, Eccli. XIX, 1: *Qui spernit modica, paulatim decidet*; et Luc. XVI, 10: *Qui in modico iniquus est, et in majori iniquus erit*; 2<sup>o</sup> ex sanctis Patribus et consensu omnium theologorum, affirmantium peccata venialia sedulo cavenda esse, ne labamur in mortalia; 3<sup>o</sup> ex ratione: facile enim intelligimus peccata venialia multiplicata fervorem charitatis, timorem Dei et horrorem peccati minuere, leves transgressiones sæpe iteratas ad graviores præsertim in eadem specie disponere, ut constanti experientia confirmatur. Ergo.

Hinc patet quam periculose levia negligantur peccata, maxime ab iis qui ad majorem tenentur perfectionem, ut sunt: 1<sup>o</sup> sacerdotes missam arido corde celebrantes, sine præparatione, sine gratiarum actione, sanctissima religionis mysteria præcipitanter et indecore tractantes; 2<sup>o</sup> clerici in sacris divinum officium sine attentione et devotione recitantes, otio, ludis, sensualitati indulgentes, de Deo sæpe loquentes et parum cogitantes; 3<sup>o</sup> juvenes clericatum ambientes, et in negligentia, torpore, perpetua levitate viventes, etc.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE PECCATIS COMMISSIONIS ET OMISSIONIS.

Peccatum *commissionis* est transgressio præcepti negativi, et fit id quod prohibetur agendo, v. g., furando, occidendo, etc.; et peccatum *omissionis* est transgressio præcepti positivi, fitque omittendo quod præcipitur, v. g., eleemosynam, missæ auditionem, etc.

Certum est omnia peccata in peccata commissionis et

omissionis adæquate dividi: « Duobus modis enim constat » esse peccatum, si aut fiunt illa quæ prohibentur, aut » illa non fiant quæ jubentur, » ait recte *Cælestius* apud *S. Aug.*, lib. de Perfectione justitiæ, cap. 5.

Negari igitur non potest dari peccata omissionis sicut et commissionis. Inter ea hæc datur differentia, quod scilicet ommissio non semper sit illicita, sed tantum si locum habeat tempore quo urget præceptum affirmativum, dum commissio mali nunquam licita est: præceptum quippe affirmativum obligat semper, sed non pro semper, præceptum vero negativum obligat semper et pro semper.

1<sup>o</sup> Nulla ommissio est imputabilis ad peccatum sine actu voluntatis; imputabilis enim esse non potest sine aliquo libertatis exercitio: porro nullum fieri potest libertatis exercitium sine actu voluntatis: ergo.

2<sup>o</sup> Actus bonus vel indifferens, qui est causa culpabilis omissionis, malitiam ipsius omissionis contrahit, et aliam non habet: unde in confessione sufficit omissionem declarare, v. g.: si quis sacrum die dominica ad studendum omiserit, sufficit quod dicat se missam sine ratione sufficienti omisisse. Si vero causa propriam haberet malitiam, v. g., si quis missam ad furandum omisisset, utramque malitiam aperire teneretur, *ut patet*.

Actus in se bonus, qui non nisi concomitanter ac peccatum omissionis fit, non ex eo vitiatur.

3<sup>o</sup> Qui scienter ponit causam omissionis, eo instanti ipsius malitiam coram Deo contrahit, etsi ommissio reipsa non sequatur, eamque confiteri tenetur; sed peccatum externum non consummatur, et pœnæ, si quæ sint, non incurruntur, nisi tempore quo fit ommissio, ut in *Tractatu de Actibus humanis*, p. 449, ostendimus.

Qui ex justitia aliquem corripere tenetur, et correptionem culpabiliter omittit, tot facit peccata, si ea præverit, quot faciet non correptus, quia mali effectus malitiam suam communicant causæ. Qui, e contra, ad correptionem ex sola charitate teneretur, eam omittendo, unum duntaxat admitteret peccatum contra charitatem, eo gravius quo plura faceret non correptus. De peccatis autem